



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio Vltima. Aliqua alia expediuntur de possibilibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

- 44 Deinde etiam in exclusione contingentiae sunt aequales Deus, & possibilitas, quia cum haec exclusio oriatur ab independentia tanquam à radice, & in illa dicant aequalitatem, etiam debent habere eam in dicta exclusione, quae ab independentia fluit, & ratio est, quia possibilitas non excludit aliquam contingentiam, admittendo aliam, quia tunc posset excludere minorem contingentiam non excludendo maiorem, & sic posset superari ab alia ratione, quae excluderet maiorem contingentiam; sed omnem contingentiam quomodocumque illa sit excludit sicut Deus, & cum in omni exclusione contingentiae non detur magis, vel minus; inde est quod non possit dari maior exclusio contingentiae, quam ea quae reperitur in possibilitate; unde nec in Deo potest dari maior, cum ultra omnem contingentiam, quam negat possibilitas non possit amplius, vel plus negare Deus, quia non datur amplius ultra omne.
- 45 Explicatur exemplo poenae damni, qua cruciantur damnati ad inferi ergastula, nullus enim damnatus habet maiorem poenam damni quam alius, quia cum poena damni consistat in exclusione, & privatione omnis, ac totius visionis beatificae, & in excludendo omnem visionem non datur magis, & minus, inde est quod idem ipsum quod una poena damni excludit, excludat & alia; nam si una excludit omnem, alia eodem modo, & similiter omnem excludit, unde excludit tantum quantum alij, in quo indivisibiliter se habent damnati, & nihilominus in visione ipsa beatifica datur magis, & minus, & sic Divus Petrus magis beatus est, quam puer, qui solo baptismo animam efflavit, ac per consequens magis videt Deum, sic similiter licet contingentia una maior sit quàm altera, nihilominus necessitas Dei non est maior, quam necessitas possibilitatis, quia necessitas possibilitatis non est exclusio alicuius contingentiae: sed omnis, & cum ultra omne non possit dari amplius ac magis, inde evenit, quod Deus non excludat magis, quam excludit possibilitas contingentiae nimirum, & per consequens evenit ut non habeat Deus maiorem necessitatem, quam possibilitas creaturarum in formalissima ratione possibilitatis.
- 46 Ad secundum argumentum Respondeo nos nunquam negare omnem obiectum esse magis necessarium, quam aliud, nam certissimum est magis necessarium esse Deum existere, quam cras solem illuminaturum, licet utrumque esse necessarium certum sit, solum enim negamus Deum in suo esse debere dici magis necessarium, quam possibilitatem creaturarum, & ratio evidens est, quia ut supra dixi tota ratio formalis quare Deus est in eo gradu necessitatis, quo non sit alius maior est, quia Deus est à se, & independens: sed creaturae possibilitas habet aequalem rationem formalem necessitatis ac Deus, quia etiam est à se, & independens ab omni alio: ergo habebit necessarium aequalem necessitatem.
- Ad tertium concedo libenter quod Deus sit à se; nego tamen creaturarum possibilitatem in esse possibilitatis non esse à se, sed ab alio; unde in hac consideratione est independens à Deo, in ratione formali possibilitatis est aequae necessaria ac Deus.
- 48 Ad explicationem, seu confirmationem dico verum esse quod in antecedenti ponitur ab adversarijs, nego tamen quod ab adversarijs suppo-

nitur in consequenti, scilicet quod possibilitates in esse possibilitatum sint à Deo, & sic corrumpit vis illius argumenti.

Ad quartum concedo primam partem argumenti; nego tamen secundam, ubi asseritur creaturarum possibilitates inferiores esse Deo in necessitate possibilitatis.

Ad ultimum responderetur negando maiorem veritatem esse Deum esse possibilem quam creaturae esse possibilem, nam licet Deus excedat creaturas in existentia, quia existentia earum dependet à Deo, non tamen excedit possibilitates, quia possibilitas non est à Deo in esse possibilitatis.

QVÆSTIO VLTIMA.

Aliqua alia expediuntur de possibilitibus.

PRIMA conclusio: possibilitas creaturarum, & Deus sunt simul cognitione, in eodemque rationis signo reperiuntur, & Probatur.

Primo, quia cognita omnipotentia Dei cognoscitur possibile, quia omnipotentia terminatur, ut ad obiectum ad possibile. Deinde cognitio possibili cognoscitur omnipotentia Dei, quia possibile est illud quod potest fieri ab omnipotentia; unde in sua cognitione involvit necessario omnipotentiam Dei, & omnipotentia etiam involvit possibile, quia est potentia, quae potest facere quidquid non repugnat, & implicat fieri est quidquid non implicat, & non repugnat fieri est possibile: ergo possibile cognoscitur simul cum Deo omnipotenti, & Deus omnipotens simul cum possibili: ergo sunt simul.

Secundo, quia Deus est in eodem signo cognitionis cum possibilitate creaturarum: ergo sunt simul cognitione: antecedens sic patet, quia Deus est in primo omnium signo, ita ut nullum aliud prius signum possit cognosci, quam signum in quo est Deus, & Deus est in illo signo, quia est à se, & summe necessarius: sed possibilitas creaturarum est summe necessaria, quia est à se, ergo est in primo signo: ergo in eodem ac Deus: ergo simul cognoscuntur in eodem signo, si adaequate tale signum percipiatur secundum omne quod in eo continetur.

Deinde, quia Deus non potest concipi ut prior possibilitate, cum possibilitas non dependeat à Deo in sua ratione formali: ergo simul cognoscuntur esse Deus, & creaturae: ergo sunt in eodem signo rationis.

Tertio, quia divina essentia est eminenter omne possibile: ergo cum est eminenter illud, illud non implicat esse in suo conceptu, & in sua connectione praedicatorum: ergo tunc est in esse possibili: ergo est simul cum essentia divina, quare illa non est eo prior, sicut hoc prius ea non est, nam cum possibile sit quod implicat fieri ab alio, tunc cum conceptus possibilis est, tunc conceptibiliter etiam esse debet id à quo potest fieri, hoc autem nullum aliud est praeter Deum, cui status possibilitatis praecise ab existentia convenit nequit, cum illius essentia, tum re, tum conceptu sit exercitium actualis existentiae: est ergo tunc

Quaest. IV. Vtrum possibilitas sit, &c. 497

tunc conceptibiliter Deus, ita ut sit existentia ipsius actus: ergo Dei existentia ratione posterior non est rerum possibilitate simul igitur aeternitate, & ratione Deus, & illius omnipotentia, quae illius essentia formaliter est, & possibile omne sunt.

6 Neque valet obijcere Deum esse primum ens, quare debere procedere, quoniam hoc tantum probat debere procedere entia, non vero negationes, qualia sunt possibilia, quanquam connotent actualitatem, quam Deus praecedat in exercitio, nam Deus actu est cum nondum actualitas possibilibus adveniat.

7 Ex his non licet inferre falsam esse propositionem illam, quia res non implicat fieri à Deo. Probatur, nam ut illius veritas constet satis est ut ex parte Dei sit ita infinita potentia, ut omnipotens facere, ut bene inferri possit est possibile: ergo Deus potest facere illud; unde quia, & si non repugnat fieri à Deo potest fieri, quia si ex sua parte non repugnat, non potest repugnare ex parte omnipotentiae, & sic optime responderemus interroganti, quare chimeram non possit facere Deus, & possit facere angelum; si dicamus, quia chimera ex se repugnat, & homo ex se non implicat, & omnipotentia est infinita, & ratio, quia ad illationem sufficit quod possibile sit obiectum omnipotentiae, & quid omnipotentia non possit facere nisi circa suum obiectum.

8 Secunda conclusio: possibile ita necessarium connexionem dicitur cum omnipotentia, ut si haec esset impossibilis, possibile per locum intrinsecum esset impossibile.

9 Primo probatur, quia possibilitas creaturarum constituitur formaliter in negatione connotante essentialiter actualem existentiam: ergo impossibili Deo impossibilis esset possibilitas. Patet consequentia, quia impossibili existentia connotata esset impossibilis negatio connotans illam, vel saltem illam non posset connotare ut ponendam: sed potius ut repugnantem, quod est proprium negationis per quam formaliter constituitur impossibilitate in ratione impossibilitatis, ideo enim negatio illa connotat existentiam rei impossibilis, ut repugnantem, quia existentia rei impossibilis est impossibilis: sed impossibili Deo impossibilis etiam esset existentia connotata à creatura possibili: ergo, & impossibilis etiam esset ipsa creatura possibilis secundum esse possibile, &c. Minor illa sic probatur, existentia connotata à creatura potenti, sive per negationem per quam constituitur formaliter ens possibile, est existentia entis secundi, & participati essentialiter exigentisque aliud à quo sit, cum à se esse non possit: sed existentia entis secundi, & participati essentialiter, exigentisque aliud à quo sit, repugnat, ut de se patet, in potenti alio, quod connotat essentialiter, ut principium à quo sit, & à quo participetur, si enim repugnat fons, & rivuli etiam ortum ab ipso capientes repugnent necesse est, sicut v. g. in possibili Patre aeterno, quia est principium Verbi Divini, & quia est fons, & origo perfectissima illius, sine dubio impossibile esset Verbum Divinum: ergo in possibili Deo peccemini, ac infinito rerum omnium fonte: at qui principio repugnabunt sine vlla tergivergatione, ac dubitationis umbra, vestigioque existentiae creaturarum possibilium; explicatur eadem minor, quia actualitas, & existentia.

R. P. Ideph. de Penafiel. Theol. Schol. Tom. I.

stentia, de qua sermo est in praesenti, nequit actu esse à se, nec se ipsam actu ponere alias esset Deus: ergo petit necessario aliud à quo ponatur, hoc autem nihil est praeter omnipotentiam: ergo si haec non esset actualitas, ista esset impossibilis: ergo ut sic necessarius connexionem dicit ad omnipotentiam: sed possibile dicitur necessarium connexionem cum existentia; ergo de primo ad ultimum possibile dicit sine dubio necessarium connexionem cum omnipotentia, cum per connexionem istam nihil aliud explicare velimus, quam ita connecti per connotationem essentialem cum existentia, quae essentialiter connectitur cum omnipotentia, ut possibile, quod nunc possibile est futurum fore impossibile, si omnino potentia non esset.

Secundo, effectus, qui essentialiter pendet à sua causa, & nullo alio modo esse potest, nisi ab illa implicat esse si causa non sit: sed actualitas creaturae est effectus omnipotentiae, à qua essentialiter pendet, & implicat esse ab alio: ergo esset impossibilis si omnipotentia non est: ergo necessarium connexionem cum hac dicit: ergo, & possibile quod necessarium connotationem, & connexionem ad eiusmodi actualitatem dicit.

Confirmatur, creatura possibilis est essentialiter in ordine ad participationem omnipotentiae divinae: ergo si esset impossibilis omnipotentia, impossibilis esset ipsa creatura possibilis. Patet consequentia, nam pars est impossibilis impossibili eo cuius est pars, & participatio impossibili illo, cuius est participatio, alias quae ratione participatio eius est quod nec est, neque est possibile. Probatur antecedens, omnis creatura est naturae divinae participatio: sed omnipotentia est ipsa natura divina: ergo omnis creatura est participatio omnipotentiae.

Denique existente impossibili potentia, existit actus impossibilis, & actu existente impossibili, potentia existit impossibilis: sed actualitas est actus possibilitatis, quae veluti potentia passiva est: ergo actualitate impossibili manente, possibilitas etiam esset impossibilis, existente autem impossibili omnipotentia, potentia maneret impossibilis actualitatis, quae est veluti actus omnipotentiae: ergo, & possibilitas: ergo haec necessarium ordinem dicit ad omnipotentiam, & quidem causalitatis passivae in hoc sensu quod apta sit ut coniungatur per omnipotentiam cum actualitate facienda ab ipsa omnipotentia, quod veluti passivum quid est.

Tertia conclusio: possibilitas non dicitur connexionem cum Deo involventem dependentiam aliquam ab ipso, & probatur.

Primo, quia omnis dependentia debet esse in genere aliquo causa: sed possibile non dicitur connexionem cum Deo in aliquo genere causa: ergo nullam dependentiam dicit.

Minor haec patet de causa materiali, Deus enim nullius causa materialis est, quia imperfectio maxima causa materialis nullo modo cadere potest in Deum.

De causa formali sic probatur, quia possibile vetam rationem formalem à se intrinsece, & essentialiter habet cum ordine ad actualitatem, quam veluti sui specificativum, & quasi formam extrinsecam ad modum quo scientia suam obiectum respicit, aut motus, aut actus terminum

R r r

à quo speciem sumunt, sic communiter Theologi: ergo non habet causam formalem sibi superadditam. Patet hoc, quia vnaqueque res se ipsa est ens formaliter, & non alio superaddito: ergo, & ens possibile; ergo non aliqua alia ratione superaddita, vt forma, esset enim processus in infinitum, nam de illa alia superaddita rogarem, per quam sit possibilis, nec dici potest per Deum, qui est à se rem constitui in esse possibilis, quia quo pacto formaliter Deus hanc rationem tribuit, cum se ipsum rei possibili non det, vt ita sit forma illius, atque ita vt non se det eodem modo impossibilibus, vt ea possibilia reddat, si possibilitatis ratio ab hac datione provenit.

17 Dicitur, quia invenit repugnantiam in impossibilibus, quam in his quæ possibilia sunt non invenit; vnde ergo possibilibus non repugnantia provenit à se? at hæc est ratio possibilis: ergo à se formaliter res possibilis, possibilis est. Explicatur hoc magis sumo rem possibilem, quam concipimus (secluso quovis aliquo alio superaddito) seu non repugnantiam, vt fiat res vel illa fieri potest, & produci ab agente, vel non; si potest: ergo secluso quovis alio possibilis est; si non potest: ergo intelligitur res secunda vt secunda, & non producibilis, atque adeo vt sit independentens, quod est non esse secundum ens, intelligi enim non potest secundum ens vt secundum, & vt participabile sine possibilitate, & sine dependentia in suo fieri actuali à primo, atque adeo sine possibilitate.

18 Denique, quia omnis causa formalis est incompleta essentialiter si sit substantia; sed Deus est substantia, & per vos est causa formalis possibilitatis: ergo Deus habet imperfectionem incomplementi: sed Deus, quia infinite perfectus est nullam potest habere imperfectionem: ergo Deus non potest esse causa formalis possibilitatis.

19 Secundo probatur, quod possibile non dicat connexionem cum Deo, vt cum efficiente, aut quasi efficienti causa suæ possibilitatis; sed hanc illud sic habet à se, & in se, vt à nullo eam, vt ab efficiente, vel quasi efficiente habeat, & probatur.

20 Quia vel Deus est proprie causa efficiens possibilis rei vt talis, vel quasi neutro modo: ergo probatur minor, & ostenditur eam proprie efficientem esse non posse Deum rei possibilis in esse talis, nam ex opposito fieret ab æterno Deo aliquid effectiæ proprie, idque omnino extra se, cum intra non potuerit, & satis explosum illud esse diminutum ab intellectu Divino productum superius iam sit, at ab æterno nihil Deus fecit proprie, in principio enim Deus omnia operatus est, vt fides docet: ergo.

21 Præterea si possibile à Deo, vt ab efficiente accipit esse possibilitatis, cur tantum ea quæ possibilia sunt illud acceperunt, non vero quæ sunt impossibilia, cum ex parte divinæ potentie non desit virtus, & efficacia.

22 Dices, quia impossibilia de se repugnant, non vero possibilia: ergo possibilia de se non repugnant fieri, & à se habent non repugnantiam: ergo id non sumunt à Deo, vt ab efficiente; sed hoc est possibile esse: ergo esse possibile non est à Deo vt ab efficiente.

23 Ais possibilia non repugnare de se sumpto illo de se in genere rationis formalis, vt sit sen-

sus ad hoc vt non repugnent non requirere aliquam formam à qua illis hoc proveniat, non vero inde fieri, vt non requirant possibilia efficientem causam, à qua illam non repugnantiam accipiant, vt ab efficiente, quemadmodum anima de se in genere rationis formalis est actus, quod non excludit postulare causam efficientem à qua rationem actus, vt ab efficiente accipiat.

Contra: ergo positum est in voluntate Dei, vt actus sit aliquid possibile, vt positum est in illius arbitrio animam, actus esse habentem rationem actus; ergo si velit ipse actus nihil erit possibile, idque ab æterno sicut nulla erit actus anima si voluerit nullam esse.

Nisi dicas ferri Deum necessitate in effectione possibilis in esse talis, quod cum extra Deum sit, fiet aliquid necessario fluere à Deo ad extra in genere cause efficientis quod est contra fidem.

Dices non esse Deum proprie causam efficientem possibilis in esse talis: sed ad instar, seu quodammodo, istaque ratione inconueniens non esse ferri necessario in quasi effectiōnem possibilis in esse talis.

Contra, nam quid est esse ad instar, seu quodammodo efficientem causam possibilis in esse talis, etenim vel hoc est à parte rei, vel tantum consideratione mentis; si hoc dicatur non est ad rem, cum debeat esse ens rationis, de quo nunc non agimus; si detur illud rogo an extra Deum ponatur ab ipso met Deo possibile in esse talis vel non? si non, habeo intentum: si ponitur, aut communicatur illi aliquid esse, aut nullum; si nullum non ponitur, si aliquid verum; vera etiam effectiōne, vere igitur erit causa efficiens: non ergo ad instar: si d proprie, nam quod vere causa efficiens est, proprie causa efficiens est, sicut qui verè est homo, proprie est homo, aut si non vera effectiōne illud ponitur, illud non ponitur; vnde neque vlla ratione causa efficiens est.

Præterea, vel habere se instar efficientis circa possibile, vt tale reddat Deum efficientem eius metaphoricum, vel absolute verum; si prius admittitur, sit tantum voce convenire illi efficienti rationem in hoc casu si posterius conceditur, redeunt omnia argumenta iam facta.

Nec valet vocari Deum efficientem causam possibilis in esse talis, eo quod efficere possit, vt illud actualitati coniungatur, nam hoc pacto omnium eorum possibilium, quæ à me actualitati coniungi possunt diceret causa efficiens in esse talium, quo quid stultius? si igitur possibile in esse talis est, & non ab alio, quod Deo non derogat, aut rationi primi entis, aut causæ à qua omnes sint, & esse debeant si sunt cum possibile in esse talis intrinsecum tantum negatio sit; non positivum ens, hoc enim si participatum est esse nequit, nisi à Deo, vt ab efficiente derivatum.

Nihilominus res possibilis potest aliquo modo dici ordinari in Deum, vt finem, quia cum ad actualitatem fuerit reductum suæ nature res possibilis in Deum tendit per actualitatem, id est, respicit actualitatem tendentem in Deum vt in finem propter quem possibile actualitati coniungendum sit quovis illi coniunctum fuerit.

Probatur, quia omnis existentia creata est participatio Dei: sed omnis participatio tendit in id,

Quæst. IV. Vtrum possibilitas sit, &c. 499

id, quod fuerit totum illius, seu in id à quo est participatio: ergo existentia creata, quæ est participatio Dei, tendit in Deum, à quo participat: sed possibile tendit, vt in finem, & terminum in existentiam: ergo possibile de primo ad vltimum tendit in Deum tanquam in vltimum finem.

32 Quarta conclusio: possibilitates sunt actiue finitæ in merito; hæc est verissima conclusio communis inter omnes Doctores.

33 Demonstratur sic, quia Deus potest facere infinitas entitates saltem sine categoriæ, & successive sine eo quod possit dari finis, & terminus per totam æternitatem in producendis rebus, alias potentia Dei non esset omnipotentia, nec infinita potentia; nam si illa limitem haberet in productionibus, signum evidens est ipsam esse limitatam, quod adest; maxima enim imperfectio est, imo pro certo habetur ab omnibus non solum Deum posse facere infinita sine categoriæ, sed etiam Angelum, virtus enim intellectiva Angeli per totam æternitatem potest sine dubio sine fine, & termino cogitationes, & intellectiones producere, quanto magis Deus: sed vnaquæque ex illis rebus producendis aliqua differentia temporis habet ab æterno actu sua possibilitas, ratione cuius ab æterno constituitur, ac denominatur possibilis, & per consequens omnes illæ infinitæ res successive producendæ habent ab æterno suas possibilitates: ergo si istæ res successive producendæ sunt sine termino, & limite, ac infinitæ actu ab æterno infinitæ possibilitates erunt, quod adeo verum est, vt omnes Doctores asserant non solum omnes esse infinitas: sed etiam solum homines, & Angelorum possibilitates esse actu infinitas, & sic de cæteris speciebus, & in vnaquaque specie esse infinita individua possibilia, vnde non solum dabuntur actu possibilitates infinitæ, & vnum infinitum ex illis: sed multa millia infinitorum ex possibilitatibus constatorum.

34 Quinta conclusio: possibile, primo dividitur in naturale, & supernaturale; supernaturale est, quod est supra omnia intrinseca principia eius, cui convenit, vt possibilitas gratiæ respectu animæ rationalis, & lumen gloriæ respectu intellectus creati; imprimis enim, quod supernaturale secundum rationem indebiti est supra omnia intrinseca principia eius, cui convenit quantum ad exigentiam, & innatum postulationem est, cum illud principia illa non postulent iure aliquo; vnde de supra ea hoc sensu est quod vero supernaturale est, quantum ad modum effectiōis clari patet supra interna omnia principia explicata esse quoad modum illum; siquidem ipsa non postulant causam extraordinariam, vt sic dicam effectiōis rationem: sed illam dumtaxat quam sua sponte, atque inclinatione naturæ lex præscribit. Denique quod secundum entitatem supernaturale dicitur aperte supra eadem principia est, quandoquidem à nullo eorum provenire potest secundum aliam potentiam, quam obedientialem, quæ longe alia est à naturali ipsius principis infra, in his autem tribus supernaturalium generibus, seu rationibus communibus aperte recipitur relatio, eaque in vltimis differentiis, per quas constituuntur in esse supernaturalium imbibita, vnde transcendentalis esse debet.

35 Naturale autem est è contra illud quod est secundum intrinseca principia eius, cui convenit, vt intellectus respectus animæ, substantia respectu naturæ.

R. P. Ildeph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

Supernaturale dividitur in substantiale, & accidentale; substantiale supernaturale est vniò huius postatica, & ipse Deus communicat cum materiali vniòne. Accidentale est, vt gratia sanctificans, & habitus per se infusus, vt fides catholica, &c. iterum accidentale supernaturale, dividitur in actuale, & habituale; actuale, vt visio beatifica, actus fidei, & actus charitatis, &c. Divisiones autem rerum naturalium silentio involvo, quia in prædicamentis, & in philosophia latissime de illis agitur, v. g. vt de vivente, & non vivente, de intellectivo, & sensitivo, de materiali, & spirituali.

Solet dubitari ab aliquibus an possit dari aliqua potentialis substantia creata realis absolute, & non modalis, quæ possit esse supernaturalis; Communis sententia asserit nullo modo posse dari; an vero hæc communis sententia vera sit, prima parte à nobis latissime ad lidum lapidem examinabitur, pro nunc autem communis sententia, reiectis alijs rationibus nullius efficacia, hæc probatur desumpta ex definitione supra dicta.

Quia si supernaturale est quod alteri supra illius principia interna convenit, nulla est, aut esse potest possibilis substantia creata, quæ ita possit alteri convenire, non enim accidenti, cum non substantia accidenti, sed hoc substantiæ conveniat, & præterea non possit esse accidens, nisi, vel supra, vel infra substantiam, si supra, erit supernaturale, vnde ei illa non erit supernaturalis; si vero infra, & hoc quantum ad perfectionem, omnia nunc naturalia infra illius perfectionem sunt, quod nihilominus non inducit supernaturalitatem substantiæ: ergo nunquam induceret. Quidquid accidens illud infra substantiam essentialiter ex natura sua ordinem ad illam diceret, & ex alio capite ipsa substantia suapte natura capax esset illius cum esset superior in perfectione: ergo naturaliter: ergo ex nullo capite esset aliquid supra naturam: ergo substantia illa non esset supernaturalis; ergo nulla substantia potest supernaturaliter convenire accidenti, ita vt huius ratione substantia in se supernaturalis sit, vt nec potest substantiæ alteri creatæ convenire supra illius principia; quare nec erit supernaturalis comparatione illius, & in sua entitate, nam vel convenire deberet per terminationem secundum substantiā, & hoc non, cum implicet creatum substantiam terminare alienam naturam, nec vt materia, nec vt forma, cum istæ dicant ordinem mutuum primo, & per se natura sua, quo fit vt neutra conveniat alteri supra illius principia, quod autem substantia creata vnius non possit terminare alienam naturam, patet, quia modus vnius non potest esse modus alterius, vt de se patet, quia esset modus, & non modus; modus quia supponitur, & probabitur infra latissime; non esset modus, quia modus consistit in vltima actualitate, sine potentialitate; atqui illa substantia dum terminat vnam naturam haberet potentialitatem ad terminandam alteram, quam vt supponitis nunc terminat: ergo non esset modus: ergo non potest terminare: ergo nec completa, nec incompleta substantia supernaturalis in entitate sua esse potest: ergo nulla, quando nulla datur, quæ non sit, aut completa, aut incompleta, quod autem materia, & forma substantialis ordinem dicant mutuum primo, & per se invicem natura sua, patet, quoniam alias id, quod ex vtraque proveniret per accidens esset quando non esset coniunctio simpliciter per se, sed ex vna parte

R r r 2 p e f

per accidens; siquidem neque essentialem neque primarium per se ordinem vel materiam, vel formam haberent.


39 Deinde, quia forma ex natura sua respicit materiam, & materia ex natura sua respicit formam, & unaqueque est entitas incompleta, petens coniungi cum altera: sed quando naturaliter petitur aliquis finis ab aliquibus non potest talis esse supernaturalis in sua entitate, ideo enim visio beatifica, & unio hypostatica non possunt peti ex natura sua ab aliqua creatura, quia in sua entitate sunt supernaturales, & ratio est, quia id quod est supra omnia intrinseca principia, nullo modo potest esse debitum illi respectu cuius est supra omnia principia, sed id quod petitur est debitum, & ideo intellectus est debitum naturaliter animæ, & substantia naturæ, & forma materiæ quia petitur ex natura rei ab illis: ergo supernaturale non potest peti à natura, quia deberetur id quod est supra omnia principia intrinseca: sed forma cum qua componit unum ens per se materia respicitur à materia ex natura sua, & essentialiter, & potest essentialiter recipere, quia respicit ut recipiat: ergo non potest esse supernaturalis, quia supernaturale non potest recipi naturaliter ab aliquo.

40 Tunc sic, sed una pars per se, ut est natura, aut forma petit naturaliter alteram: ergo illa non est supernaturalis illis, nec coniunctio illorum inter se.



DISPUTATIO VIII.

De Antepredicamentis.



QVÆSTIO I.

Quid sit Predicamentum, & quotuplex?

SECTIO I.

Proœmium, & sententiæ Adversariorum.

1 **P**REDICAMENTUM latinè-græce vocatur *categoria*, teste Isidoro lib. 2. *originum*. Divo Augustino lib. de *decem categoriis*, sive *catorema*, à verbo græco *catoreo*, quod idem sonat ac verbum latinum *prædico*, sive *enuntio*. Hebræe דִּבְרֵי *dibber*, unde idem est *categoria* ac *enuntiatio*, sive *prædictio*, quod in sacra lingua dicitur à verbo קָרָא *Karâ*.

2 Vocabulum *categoria* Porphyrius, & Desipus traductum credere ab Aristotele à forensi usu ad gymnasium, *categoria* enim publicam accusationem significat, quæ criminando in iudiciis versatur, nam κατηγορο, *accuso* significat, nec est inusitatum magnis Philosophis, inquit Porphyrius, ut cum aliquid ignotum patefaciant; aut vocabula innovent, aut vilitata transferant, & nova significatione afficiant iuxta illud Ciceronis 1. de *natura deorum*, nova sunt rebus novis ponenda nomina, quod his verbis dilucide aperuit, sibi que concedendum pronuntiavit lib. 1. *academicarum questionum*, ipse eloquentiæ Patens, aut enim

nova sunt rerum novarum facienda nomina, aut ex aliis transferenda, quod si græci faciunt qui in his rebus tot iam sæcula versantur, quanto id magis nobis concedendum est, qui hæc nunc primum tractare conamur. Divus Augustinus lib. 10. *categoriarum*, sic ait, appellatas vero *categorias* constat propterea quod non possunt nisi ex subiectis agnoscere, nisi aliquem sibi hominem ponat ante oculos, quasi subiectum homini, itaque ex subiectis, & prædicatis conficiuntur *categoriae* secundum dispositionem, & ordinem.

Ammonius apud Fonseca bene advertit in his, quæ ad Ilagogen Porphyrij præfatur τὰς κατηγορίας, recte dictas paulum immutato verbo, quasi κατηγορίας τῶν τινῶν, id est de quibus attributiones, & enuntiationes, quo pacto verbum proprie non figurate usurpabitur, quia autem, ut asserunt Combricenses, res in his decem classibus ideo disponuntur, ut superiora de inferioribus iuxta naturæ ordinem enuntientur, & affirmantur, merito ipsæ classes græce *categoriae* nomine insigniuntur, quæ latine ut diximus *predicamenta* appellantur, cuius vocabuli inventor fuisse videtur Boëtius.

Sumitur *predicamentum* aliquando pro tota serie ex superioribus, & inferioribus cõstituta; aliquando pro supremo tantum genere cuiuscumque ordinis, seu *predicamenti* ut asserit Divus Thomas opusc. 49. de *predicamentis*, dum ait, ens autem reale dividitur in decem prædimenta, quæ sunt decem genera suprema rerum.

Fonseca vero erudite satis advertit, quod quia familiaris est non philosophis modo, sed vulgo etiam ut verba quæ actionem significant sæpe numero sumantur pro iis, quæ modo aliquo sub actionem cadunt, quo pacto homines congregatos in unumque convenientes, congregationem conventumque, res, ex quibus fit mixtio mixtionem, & id quod concipimus conceptionem, conceptumque appellamus: Hinc effectum est ut nomen τῆς κατηγορίας αὐτῆς τῆς κατηγορίας, id est, pro eo quod prædicatur, & enuntiatur, de aliquo accipi consueverit, hac ratione vocat Augustinus in lib. *categoriarum*, animal *categoria* substantiæ, & disciplinam *categoria* qualitatis.

Damasceus autem in lib. de *dialectica*, *catoreo* 6. diastinde nuncupatas affirmat quod de aliquo dicantur, & Cicero idem confirmat lib. 4. *Tusculanarum questionum*, definiens esse id quod de aliquo aut aliquibus dicitur; apud nos autem *predicamenti* nomen non pro ipsa prædicatione, sed pro rebus ipsis sumitur, quæ prædicantur cum ordine, & dispositione superiorum, & inferiorum sub aliquo supremo genere usque ad individua, ut ait Porphyrius in Ilagoge his verbis, in singulis prædicamentis esse singula summa genera, esse item quædam subalterna, quæ & genera sunt, ac species; deinde alia quæ sunt species; non item genera sub quibus sola individua collocantur. Imo etiam Aristoteles in ipsa prædicamentorum inscriptione, nam cum singula seorsim prædicamenta exposuisset, ita concludit, atque hæc de propositis generibus sint satis, ubi haud obscure innuit se in hac significatione prædicamentorum inscriptionem intellexisse; sumit enim genus pro tota collectione ex genere, & ex his quæ ab eo quasi oriuntur, ut sunt species, &c. quod posse fieri his verbis confirmat Divus Augustinus lib. de